

III

PRIVILEGIUM FRIDERICI II

1221 maggio, Messina

L'imperatore Federico II prende sotto la sua protezione la città di Grosseto e i vassalli del conte Ildebrandino IX Aldobrandeschi.

Copia semplice risalente all'inizio del XIV secolo, ASS, *Diplomatico, Riformagioni*, 1221 maggio [c. 38].

Copia autentica dell'8 giugno 1335, ASS, *Capitoli* 2, cc. 23r-24r.

Edizione: J.L.A. HUILLARD-BRÉHOLLES, *Historia diplomatica Friderici secundi sive constitutiones, privilegia, mandata, instrumenta quae supersunt istius imperatoris et filiorum eius. Accedunt epistolae paparum et documenta varia*, II/I, Parisiis, MDCCCLII, pp. 178-181.

Regesto: *Inventario generale del R. Archivio di Stato in Siena. Parte prima (Diplomatico, Statuti, Capitoli)*, Siena 1899, p. 119; A. LISINI, *R. Archivio di Stato di Siena. Inventario delle pergamene conservate nel Diplomatico dall'anno 736 all'anno 1250*, Siena 1908, p. 168; *Regestum Senense. Regesten der Urkunden von Siena, I. Bis zum Frieden von Poggibonsi, 713 - 30 juni 1235*, bearbeitet von F. SCHNEIDER (Regesta chartarum Italiae, VIII), Roma 1911, n. 593, p. 263 (cfr. le indicazioni ivi contenute).

IN NOMINE SANCTE ET INDIVIDUE TRINITATIS FRIDERICUS SECUNDUS DIVINA
FAVENTE CLEMENTIA ROMANORUM IMPERATOR SEMPER AUGUSTUS ET REX
SICILIE. Iustis fidelium postulationibus imperialis clementia benivolum debet assensum impendere
et illos favorabili debet effectu prosequi, quos fidei puritas et grata servitia nobis exhibita plurimum
recommendant, ea propter notum facimus universis Imperii fidelibus tam presentibus quam futuris
quod nos respicientes ad puram fidem et sinceram devotionem quam dilectus fidelis noster
Oldibrandinus comes palatinus de Tuscia ad nostram excellentiam habeat fideliter et constanter
considerantes quoque preclara obsequia que nobis et imperio incessanter exhibuit et in antea
devotius exhibebit volentes eidem comiti pro meritis respondere civitatem suam Grosseti et
universos cives eiusdem cum omnibus bonis suis que nunc possident et in antea possidebunt necnon
infrascriptas personas quas propriis nominibus duximus inferius denotandis, videlicet Panogliam et
Manglantem comites cum illis de domo suo, Ugonem de Valcortese et fratres suos, Ugottonem de
Saxoforti et fratres eius, Panfoliam de Collis, Gerardum de Vignali et Gualfredum fratrem eius,
Ranerium de Mendico et Guidonem fratrem eius, Guidonem vicecomitem de Montalto, Montum de
Grosseto et filios, Gerardinus, Bernardinum de Cinazano, comites Gherardescos filios comitis
Engerami de Biserno, Ugolinum filium vicecomitis de Campilio, Bonifatium comitem de Civitella
et illos de domo sua, Gregorium de Sancto Geminiano, Cacciacomitem de Collis et fratres eius,
Ranaldum de Collis et illos de domo sua, Pennatum et illos de domo sua, vicedominos de Massa,
Mainetum de Scolari et fratres eius, Anricum de Aritio et fratres eius et Bernardinum de Malliano
fideles nostros et comitis memorati, cum omnibus suis feudis que ipsi a predicto comite possident et
recognoscunt et que predecessores eorum a predecessoribus eiusdem comitis possederunt et
tenuerunt necnon et cum aliis bonis suis stabilibus et mobilibus sub nostra protectione spetiali et
defensione imperii suscepimus et eos ac heredes eorum demanio nostro proprio et imperii recipimus
perpetuo retinendos, concedentes eisdem suisque heredibus ac imperiali auctoritate ex certa scientia
confirmantes omnes terras, possessiones, tenimenta et bona omnia stabilia et mobilia que nunc
possident et in posterum dante Domino poterunt adipisci; statuimus igitur et imperiali edicto
firmiter sancimus ut de cetero nulla civitas, nullum comunem, nullus comes, vicecomes et nulla
umquam persona magna vel parva ecclesiastica vel secularis predictos fideles nostros et comitis
pretaxati vel eorum heredes, civitatem etiam prefatam et cives eiusdem contra huius nostre
protectionis et confirmationis paginam audeat molestare vel modo aliquo molestare, sed sub nostra
protectione et defensione, demanio nostro et imperii liberi et quieti consistent. Quicumque autem
contra hanc nostram protectionem et confirmationem venire presumpserit indignationem nostram se

noverit graviter incursum et pro pena centum libras auri optimi compositum, medietatem quidem camere nostre aliam medietatem iniuriam passis, ut autem hec nostra concessio et confirmatio robur optineat perpetuum et inviolabile firmamentum presens privilegium scribi et sigillo nostre celsitudinis iussimus inferius roborari. Huius rei testes sunt: Gualterius Cataniensis episcopus regni Sicilie cancellarius, Berardus Tarentinus archiepiscopus, Duipaldus marchio de Hoburg, Ranaldus dux Spoleti, de Verda camerarius, Fridicus de Stophen, Pincerna Panormitanus episcopus, Berardus Messanensis archiepiscopus, Nicholaus, Anselmus de Iustingen marescalchus, Conradus. **SIGNUM DOMINI FRIDERICI INVICTISSIMI ROMANORUM IMPERATORIS SEMPER AUGUSTI ET REX SICILIE.** Datum apud Messanam anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo XXI, mense madii, indictione VIII, regnante domino Friderigo Romanorum imperatore glorioso semper augusto et rege Sicilie anno regni eius in Germania VIII, XXIII, Imperii vero eius anno primo feliciter amen. Ego Christoforus de Turre Maritime imperiali auctoritate notarius viso instrumento originali, viso etiam exemplo presenti ex predicto originali infrascripto extracto ita quod nichil erat additum vel diminutum unde vetus sensus mutari possit, coram testibus infrascriptis tam originale predictum pendente sigillo domini Friderici serenissimi imperatoris semper augusti quam presens exemplum diligenter legi et abscultavi ideoque meum signum apposui. Ego Guilielmus de Adria civis Grossetanus imperii iudex ordinarius viso originali privilegio sigillo pendente domini nostri serenissimi Friderici secundi Romanorum imperatoris vallato visoque presenti exemplum ex predicto originali privilegio extracto in quo nichil additum vel diminutum erat tam prefatum originale privilegium quam presens exemplum diligenter coram testibus infrascriptis legi de verbo ad verbum et abscultavi ac etiam cum notario Christoforo superscripto ideoque meum signum apposui. Ego Benetuccius de Grosseto auctoritate imperiali notarius viso originali privilegio sigillo pendente domini nostri serenissimi Friderici secundi Romanorum imperatoris vallato visoque presenti exemplo ex predicto originali privilegio sigillo pendente domini nostri serenissimi Friderici secundi Romanorum imperatoris vallato visoque presenti exemplo ex predicto originali privilegio extracto in quo nichil additum vel diminutum erat tam prefatum originale quam presens exemplum diligenter coram testibus infrascriptis legi de verbo ad verbum et abscultavi ac etiam cum iudice Guillelmo, Lucario et Christoforo notariis superscriptis et infrascriptis ideoque meum signum apposui. Ego Lotharius auctoritate imperiali notarius hoc exemplum privilegii sigillo pendente cere domini nostri serenissimi Friderici secundi Romanorum imperatoris roborati scripsi et publicavi ut in originali privilegio predicto inveni, legi et abscultavi cum predictis domino Guillelmo iudice, Christoforo et Benetuccio notariis coram testibus domino Bonizzo et Compagno presbiteris canonicis Gross. et presbitero Iohanne filio domini Alberteschi de Silvis, Dictaule quondam domini Ranuccini Tiezi de Grosseto, Rodolfino quondam Tancredi Balesi de Grosseto, Pepo quondam domini Amatoris de Grosseto, Amadeo quondam Ghichi de Grosseto, Guelfo quondam Oddonis de Grosseto, Iohacchino filio Alamanni de Grosseto, Guiduccio quondam Benincasetti de Grosseto, Bonifatio quondam Nigri de Petriolo ad hec vocatis et rogatis sub anno Domini millesimo CCXLVIII, indictione VII, VIII kalendas maii, Grosseti in ecclesia maiori.